



Sanctus Iosephmaria Escrivá de Balaguer Fundator Operis Dei

ORATIO

Deus, qui Beatissima Virgine intercedente, Sancto Iosephmariaë, sacerdoti, gratias innumerabiles largitus es, eum eligens et efficiens instrumentum fidelissimum ut conderet Opus Dei, quod est via ad sanctitatem quærendam in labore professionali et in adimplendis ordinariis officiis fidelis christiani: fac, ut ego quoque convertere sciam cuncta vitæ meæ momenta atque adiuncta in occasiones te diligendi atque serviendi cum gaudio ac simplicitate Ecclesiæ, Romano Pontifici et animabus, vias terræ illuminando cum igne fidei et amoris. Da mihi, Sancto Iosephmaria deprecante, gratiam quam a Te postulo... (petitio). Amen.

Pater noster, Ave Maria, Gloria Patri.

“Ubi id quod expetitis et labor atque amores vestri sunt, ibi est quoque locus in quo Iesu Christo cotidie occurrere potestis. In rebus enim vel magis materialibus huius mundi nos sanctificare debemus, Deo et cunctis hominibus servientes. In horizonte, filii mei, cælum et terra coniungi videntur. Attamen non est ita, quia vere coniunguntur in cordibus vestris, si sancte degitis vitam vestram ordinariam...”

(Ex homilia Sancti Iosephmariae Escrivá de Balaguer *Mundum ardentem diligere*, 8 octobris 1967).

Sanctus Iosephmaria Escrivá de Balaguer ortus est Barbastri in Hispania, die 9 ianuarii anno 1902. Sacrum presbyteratus ordinem Cæsaraugustæ recepit die 28 martii anno 1925. Divina ductus inspiratione, Opus Dei condidit die 2 octobris anno 1928. Postquam tenero affectu aspexit imaginem Beatissimæ Virginis positam in loco eminenti habitationis in qua labori operam dabat, improviso mortuus est Romæ, die 26 iunii anno 1975. Eo tempore Opus Dei extendebatur in quinque continentes terras eiusque membra ultra 60.000 numerabantur, quæ, in servitium Ecclesiæ, eo ipso spiritu inflammabantur plenæ unionis cum Romano Pontifice et cum Episcopis, quem Sanctus Iosephmaria Escrivá semper coluit. Beatus Ioannes Paulus II inter Sanctos recensuit Fundatorem Operis Dei, die 6 octobris anno 2002. Eius festum liturgicum celebratur die 26 iunii.

Corpus Sancti Iosephmariae Escrivá iacet in ecclesia prælaturæ Operis Dei, Sanctæ Mariæ de Pace dicata, Viale Bruno Buozzi 75, Roma.

Aliæ informationes circa S. Iosephmariam Escrivá in:
www.opusdei.org - www.josemariaescriva.info

Qui favores obtinuerint per intercessionem Sancti Iosephmariae Escrivá de Balaguer, velint de iisdem notitiam dare ad: Prelatura dell’Opus Dei, Viale Bruno Buozzi 75, 00197 Roma.

Cum licentia ecclesiastica